

1510 Jaderamque mitterent ad urbem transvehendos : id enim regionum ministrorum voluntate fieri poterat . Latum etiam , ut lex de mercede magistratuum reipublicæ condonanda , in sex menses prorogaretur . Jussus etiam Joannes Franciscus Polanus , qui longis navibus in Istris non segnem operam reipublicæ navabat , ut Fossam Clodiam ad præfectum se classis evestigio reciperet . Quibus intellectis rebus Zoilus Detricus , ex Jaderensi civitate , amantissimus reipublicæ vir , aurum , quod in suos usus domo attulerat , Patribus Principique dono dedit .

Grittus cum exercitu Vicetiam veniens , ad quem civitatis magistratus cum armatorum ex plebe atque agris decem millibus iter faciebat , ut ei opem ferret , ne ab hostibus cladem aliquam acciperet (magni enim de eorumores afferebantur) cum vellet extra murum castra ponere , ne oneri oppidanis esset , a civibus omnia perpeti reipublicæ causa se se velle pronunciantibus , atque ab illo , uti copias omnes introduceret majorem in modum postulantibus , noctu hilariter in oppidum est receptus : postridieque ejus diei abiens medio fere inter Patavium Vicetiamque itinere confedit , ut utrique urbi , si necessitas urgeret , auxilio esse posset . Patres , ut Vicetinae civitatis plena fidei ac benivolentiæ officia tanti facere , quanti par erat , viderentur , per literas sibi gratum id fuisse ostenderunt , seque memores ejus rei fore in posterum confirmaverunt . Deinde , cum de Gradonico deque Marcello legatis non commodi sermones jactarentur ; eorum loco est ab iis legatus lectus Paulus Capellus , qui se , cum vellent Patres , profecturum est pollicitus . paucisque post diebus duo sunt sublegati reliquis legatis lecti , Federicus Contarenus , Joannes Diedus : quorum alter senatui paruit , profectusque est : Joannes excusatione valetudinis adhibita domi remansit . Ejus est loco paulo post Sigismundus Caballus sublectus . At Galli Triultio & Palitia & Magistro magno ducibus , audito nostrorum recessu , missis Montanianum paucis equitibus deditione oppidum capiunt , itemque Ateste , tum Coloniam & Leonicanos .